

432

ANNOY. HENR. GLAR. IN

IN C. VLII CAE=

SARIS COMMENTARIO

RVM DE BELLO CIVILI

librum II. Henr. Glar.

annotationes.

Argumentum secundi libri.



RIA hoc in libro tractantur. Primum Malsiliae oppugnatio mari ac terra. Mari rursus uicit D. Brutus, terra perdifficilis fuit oppugnatio, operibus sane mirandis, quae diligentissime descripsit Caesar, quae hostes satis inauditus agger à Trebonio. Tandem Malsilienses omnibus uicti malis sese Caesari, qui iam ex Hispania denuo uictor redierat, deditere. Secundum, ut M. Varro Pompeij legatus Hispaniam ulteriorem à Caesare auertere conatus sit, sed frustra. Nam provinciae consensus, ciuiumque Rom. Cordubae officium obstabant Varroni. demum unius legionis secessio coegit eum, ut sese Caesari dederet. Tertium, ut in Africa aduersam fortunam Caesaris exercitus Curioni Tribuno traditus, passus sit. Nam cum primo aduentu praelijs aliquot Curio aduersus Aetium Varum, Pompeij legatum, prospere pugnasset. Vticamque oppidum oppugnare conatus esset, subito aduentu Iubae Maurorum regis, cum Curio Sabura eius praefectum, cum paucis subsidijs adesse, ex perfugis captiuisque percepisset, oppressus est, cum toto prope exercitu. Pauci enim nauibus in Sicilia effugerunt, reliqui facta deditiōe ac in fidem accepti à rege Iuba trucidati sunt.

In hac ratione perfectum est. 2

Duas res hic Caesar describit, Primo turrim latericiam, secundo musculum. Turris ad repentinos hostium incursum reprimendos facta erat. Musculus autem aduersus rerum grauisimarum lapsum, ut turris aut totius muri. Ab turri hostes à muris deturbabantur. Sub musculo uero milites murum Malsiliensem, ac turrim fundamenta uellebant. In descriptione turris, singulis conurbationibus singulas contignationes subiungit, cum munitio nibus desuper structis.

Cent.